illud magis, quam hoc abfuit a perficiendo crimine.

Sua cuique ratio suadet, conantem eum, qui potuerat perficere crimen, et pœnitentia deinde abducens noluit, minus esse sontem, quam qui perfecit etiam. Nam si fecisti quidquid poteras ad perficiendum facinus, et casus tibi facinoris effectum abstulit, eccquomodo videberis minus flagitiosus, quam ille, qui perfecit reapse? Quidquid enim discriminis interest inter vos, est prorsus a casu, qui quemadmodum nullum scelus creat, ita nec delet, minuitque, Deuteronomii cap. 13º vers. 5. et seq. et cap. 19º vers. 16º et seq. Exodi cap. 21º vers. 12º Lege 1ª in fine ff. de Lege Pompeja de parricidiis. Lege Nonpoto 7ª, et l. ultima Cod. de calumniatoribus. Boemerus elementorum Jurisprudentiæ Criminalis sectione 2ª cap. 1º § 24º.

§ 21.

Conatus delinquendi utrum, et quo modo puniendus.

Postea quam intellectum fuit in ipso conando crimine crimen versari (§ 19.) intelligimus etiam plecti id oportere. Scilicet interest metu pœnæ arceri etiam conandi licentiam, non tantum quia conatus tales non sunt sine contemptu legum valde periculosi, et noxii, et etiam cum effectu conati, sunt sæpe illis, contra quos

fiunt, permolesti, et graves: et maxime ne, impunitate proposita, audaciores fiant alii ad conandum, et cum effectu similia. Rarum quippe ut qui semel ausus fuit incoare delictum, repente cesset infecta re.

Decet autem, simulque expedit, ut mitior pœna maneat eos, qui duntaxat incoarunt, quam qui facinus compleverunt. Decet, quia justum puniri minus, qui et minus deliquerunt. Expedit etiam hoc modo aditum aperiri pœnitentiæ, si ex completo crimine, quam ex incoato, gravior pœna timenda erit Beccaria dei delitti, e delle pene § 14º in principio. Eisdem de causis video, etiam pro ipsius conaminis modo leniendam magis, minuendamve pœnam Boemerus Elementorum Criminalium Sectione 2ª cap. 1º § 24º. Etenim et minus rei sunt (§ 20º), et facilius ab incepto desistunt, qui conantes versantur in primo velut limine, quam qui fuerunt progressi longius. Illud autem per se satis constat, quod si in ipso conamine criminis imperfecti inest crimen perfectum alterius generis, certa hujus criminis, quod perfectum est, pœna locum obtinebit l. Vulgaris 21ª § qui furti 7.

ff. de furtis. Boemerus loco citato.

Emanant hæc a ratione. Etiam jure communi non supplicium criminis absoluti, non pœna, ut vocant, ordinaria plectit conantes, verum extra ordinem isti puniuntur minus l. prima in principio, et § ultimo ff. de extraordinariis criminibus. l. 6.a l. 11.a § etsi si ff. de Lege Cornelia de falsis. Exceptionem tamen huic regulæ videmus factam in delictis nonnullis, nequioribus illis quidem, majorisque periculi. Ita in crimine majestatis pœna conaminis nil distat a pœna criminis perpetrati l. quisquis 5.a Cod.e ad Legem Juliam majestatis. Ita Cornelia lex de sycariis puniebat eodem modo, qui hominem occiderat, et qui hominis occidendi causa cum telo ambulaverat. Quamquam ab hac severitate Legis Corneliæ recesserunt mores deinceps l. 1.a in principio. l. 7.a ff. ad Legem Corneliam de Sycariis. l. Is qui 7. Cod.e eodem titulo. ~~Deciis~~ Peresius in codicem lib. 9.o tit. 16.o num.o 5.o Hinc orta est, invaluitque communiter illa sententia, quæ dum ~~Lex~~ levius puniri vult conamen criminis, quam criminis complementum, tamen excipit delicta atrocissima, in

quibus censet utramque rem coercendam supplicio æquali Antonius Matthæus de criminibus in Digestorum librum 48.m tit. 18. cap. 4.o num. 13.o ~~[illegible]~~

Enim vero in hac re judex similiter, ut in cæteris, non discedat a Lege, quam æque, cui parere quisque subditus debet Boemerus Elementorum Criminalium sect.e 1.a cap. 1.o § 11.o Itaque crimen incoatum, aut minus quam perfectum, aut æqualiter puniat, prout fert loci lex, quæ regit judicium ejus. Quorum autem suprema est in quaque gente potestas, illi vero pertentent sedulo, num in legibus latis aliquid videatur dignum emendatione, in eaque re multum proderit diligentia, probitasque judicum, qui legum vitia, si quæ deprehenderunt, sincere exponant legislatori.

Porro conamina graviorum criminum vindicari oportere gravius, quam leviorum, nemo est, qui non intelligat. Verumtamen etiam in delictis talibus minus est incoare, quam complere, et quo atrociora illa sunt, majorque noxa, eo magis interest, ne, qui semel conatus est, paratior, alacriorque fiat ad perficiendum, si videat pœnam nihil mollitum iri pœnitentia.

§ 12.

Quemadmodum differat a delicto peccatum.

Dictum peccatum hoc loco sumitur non generaliter, atque late, quo sane modo complecteretur etiam delicta: sumitur in [illegible] illo, et peculiari, quam ei addidit communis sermo ad violationes legum divinarum speciatim significandas (§ 1. in fine), ita differt a delicto, quod praeterea violat leges humanas. Enimvero leges divinae spectant ad bonitatem hominis, leges autem humanae spectant ad bonitatem civis; ex eo sequitur, ut ferme omnia delicta sint etiam peccata, sed non itidem omnia peccata sint etiam delicta: quippe mali, noxiique cives, quales sunt, qui delinquunt, itidem sunt etiam mali homines, at non omnes mali homines sunt etiam cives mali, quia civitati minime nocet omnis malitia.

Nempe quidquid boni, malique moralis est, cum nascatur, insideatque in animo (§ 11. v. 1.) malus merito dicitur homo, qui cogitat, vultque mala: nihilominus donec mala cogitatio restat in eo, quoniam nihil aliis nocet, ideo nullam praestat malitiam civilem, delictumque nullum. Praeterea sunt vituperabilia nonnulla, quae etsi a cogitatione fuerunt transgressa ad actionem, non sunt tamen in crimine, quia vel minime laedunt, vel saltem haud laedunt ita valde, ut videantur coercenda suppliciis l. etsi 14. § divus ff. de Religiosis, l. 3. § non perpetuo 4. ff. de sepulcro violato. Siquidem expedit, ut, levioribus toleratis, maneat in vindicandis gravioribus vigor publicae disciplinae; ne si etiam in minora

minora quoque, et a quibus rari sunt, qui abstineant, poena constituatur (propterquamquod aegre ferrent cives tam multis constringi vinculis arbitrii sui, et forent profecto graves criminalia purgata, ac judicia sic sine modo multiplicari) existat insuper infinita multitudo reorum, ex eaque necessario oriens impunitas, et contemptus legum punientium: quando in quaque civitate plurimum refert leges et esse, et reputari inviolabiles; quando melius est illas non ferri, quam ferri tales, quae sint piorum ludibrio, et quarum aspernatione cives assuescant supremam contemnere potestatem ferentium, simulque et leges eas, quae vere sunt necessariae ad continendam, retinendamque societatem Beccaria dei delitti e delle pene § 35. versiculo 3., e § 41. versiculo 1.

§ 13.

De levioribus quoque malefactis, deque peccatis apte amoliendis: ubi de educatione, et publicis virtutum praemiis.

Tamen interest, si fieri potest, ut civitate illa quoque pellantur minoris momenti mala: interest impediri peccata ipsa, ipsasque malas vel cogitationes, quas nisi qui concepit, nemo agit nefaria. Rem adeo utilem praestat,

Vasrippa 3

prandum sperare licet in humanis, educatio civium, privatque leniter, tuto, et mira cum efficacitate. Educatio, inquam, non ea, quae prorsus permittatur nequitiae, desidiaeque parentum, qui depravati ipsi dabunt, quemadmodum canebat poeta progeniem vitiosiorem Horatius lib. 3° Ode 6ª versiculo ultimo, verum ea, quae apta instituta, eaque adjuta legibus certissimo erit effectrix cogitationum, morumque bonorum. Id olim praeclare viderunt veteres Persae, et propiora nobis aetate Patres Tridentini; dum docilem adolescentiam quatenus illi ad probitatem civilem, isti voluerunt ad ecclesiasticam publice informari Xenofon Ciropaediae lib. 1° Tridentinum de Reformatione Sess. 13ª cap. 18° Beccaria dei delitti, e delle pene § 41° vers. 9°

Vitiorum quoque omnium illecebrae ibi multo infirmiores erunt, ubi premiis donentur digni, quicumque excellunt in genere virtutum contrariarum (Lib. 1° § 3° vers. 1°). Solent quidem permulta scribi, et disputari de poenis, quae medicina est societatis tristissima, tametsi necessaria: Veruntamen optandum maxime,

ut ad vim suppliciorum addatur etiam praemiorum vis, quae pars quoque est flagitantis justitiae, et est multo laetior, multoque conducit publicam disciplinam, non solum quia generosos animos facilius flectit amor, quam metus; sed etiam quia homines plane omnes videant, vitari fuga, aliisque modis fortasse posse poenam praescriptam crimini, at certo obtentum iri praemium virtutis, ubi publice fuerit propositum. Ut nihil dicam de caeteris, pone publica honoris signa solerter, digneque pro meritis decernenda aperient fontem praemiorum, et valde cum quidem uberem, nec praeterea gravem erario. Honore autem quid potentius? Honos (praeclare Tullius ut solet) alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria =.

§ 24.

Peccata punire cujus sit.

Tametsi utile est, atque praeclarum, consentanea publicae optimae morum informatione, additisque incitamentis virtutum impedire peccata ipsa, quia eo hunc modum tanto facilius impediuntur delicta; peccata tamen, quae admissa sint, plectere alienum

est a potestate civili. Puniendi enim in societate jus terminatur necessitate societatis ipsius: At societati ~~[illegible]~~ haud necessarium puniri peccata ~~vera~~ ex principiis quae si mere recta sunt, nihil ei nocuerunt (§ 11. v. 2.) At si peccatum sola minime violat leges humanas (§ 11.° vers. 1.° in principio) humanarum porro legum latores, custodes, vindices nullam poterunt de peccante isto sumere poenam, quia nihil poterunt exprobrare ei, qui nihil discessit ab eorum legibus.

Discedunt sane, quicumque peccant, a legibus divinis, moralemque vere labem contrahunt: hinc patet esse puniendos, non tamen puniendos ab eis, qui curant solum quae pertinent ad societatem, verum a Deo uno, qui unus judicat de morali rerum bonitate, aut malitia, qui unus violatus deprehenditur in violatione legum ab se latarum. Ipse solus perscrutatur corda hominum, nequitiamque cogitationum malarum internam, occultam, maximeque variam perfecte aestimat: ipse solus offensam sibi infinite excellenti factam potest digne, infinitoque plectere. Quod si parcere nihilominus velit, sicut pro summa sua

bonitate facit frequenter, non est, cur injuriam numinis a numine condonatam ulciscatur homo: sin constituerit punire, temerarium, stultumque erit velle homines quidquam adjicere ad severitatem vindicis sui; erit simul iniquum velle duplicare poenam Beccaria dei delitti, e delle pene § 24.° versetto Ultimo.

Nam si in una, eademque re ad peccati malitiam accedat improbitas criminis, omnino duplex injuria duplicem reposcit poenam: quippe et laesa societas exigit poenam humanam, et contempta majestas Numinis postulat poenam divinam dignam facinoris immensitate.

In quo genere inprimis pono religionem violatam: sic enim non modo summe peccatur in Deum, quoniam, qua Deus offenditur, sed adducitur in periculum maximum ipsa societas, cum nulla extiterit, existereque valeat societas carens religione; cum nulla alia crimina cieant turbas in civitate tantas, quantas, quae fiunt in religionem, quo caelesti re multo ardentius, quam terrestri ulla, inflammantur hominum animi.